



Q. D. B. V.

**Qvæstiones Theologicæ,
in quibus
Abusus Philosophiæ
deprehenditur.**

Quæstio I.

Utrum creaturæ ex nihilo productæ sunt, an vero ex essentiâ divina emanarunt?

§. I.

Vocabulum NIHIL *πολύσημον* esse, ex vario illius usu, etiam in vitâ civili, notissimum omnibus est, & in Scripturis ipsis varias illius significations reperiri, FLACIUS *Part. I. Clav. Script.* & RAVANELLUS *Biblioth. Sacr. Voc. Nihil* docere nos possunt. Nobis illud hoc loco propriè & in rigorosâ acceptione, pro *non-existente* sumitur, prouti non-entis synonymum haberi solet, entique, seu ei, quod essentiam existentem habet, contradictoriè opponitur, & in Nihil negativum ac privativum distinguvi suevit. At hæc ipsa quoque distinctio, quando de creatione rerum ex nihilo sermo est, à Philosophis pariter atque Theologis diversâ ratione exposita deprehenditur. Alii namque Nihil negativum dicunt, quod neque aliquid est, neque fieri aliqvid potest. Atque hi terminum *negativi* strictius sumunt, ex significazione abstracti, nempe negationis, siquidem negatio

A